

Calu' 10

Primitiano

Eloquentie autem &c Quia eloquentia multam
consistit in corporis gestu. Ideo autor postquam posuit exem-
pla eloquentie in precedenti capitulo. In isto ponit exempla
eiusdem per ut in pronuntiatione & motu corporis consistit
& duo facit quia primo proponit capiti materia. Secundo
ponit exempla propositum declarata ibi. Gaius Gracchus
Dicit ergo primo diximus de eloquentia: sed ornamenta
eloquentie in pronuntiatione apta: & motu corporis con-
uenienti consistunt quibus ornamentis cum se ipsa eloquen-
tia instruit id est cum debitis gestibus & debite pronun-
ciata fuerit tribus modis homines aggreditur audientes
primo animas eorum ipsa inuadendo: quod fit cum propterea
virtutes: vicia: exempla fortium: effectus consiliorum: pericula
fortuna & infortuna ad memoriam reducantur quibus ani-
mi inuaduntur & cogentur oranti parere. Secundo cum
suis auditoribus infert delectabilia: quibus fit pruritus &
quedam delectatio in auribus. Tercio cum oculos audi-
entium cogit: actus & corporis honestatem orantis intueri
Et haec duo tangit autor cum dicit horum hominum alteri
aures quantum ad secundum: alteri oculos perculcendos
tradendo: quantum ad tertium. Sed ut propositi fides in
personis illustribus exhibeatur notanda sunt exempla que
secuntur. Gaius &c Hic persequitur exempla inci-
piens a Graccho dicens. Gracchus adolescens felicioris elo-
quentie quam propositi id est felicior fuit eloquentia quam
proposito & voluntate. Et subdit rationem: quoniam id est
quia flagrantissimo ingenio redolens: cum optime rem-
publicam tueri posset impie & crudeliter perturbare ma-
luit: seditionem in populo faciens ut multoties superactum
est: hic quotiens apud populum concionatus est: post se
seruum musice artis pitum habuit qui eburnea fistula
occulta & clam submissa voce: modos eius pronun-
tiationis formabat aut nimis remissos & debiles excitando
aut plus iusto concitatos & altos reuocando. Et subdit
rationem: quare talem seruum tenebat dicens: quia calor
atque impetus actionis: ipsum huius temperamentum attentum

B